

XIV.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

XV.

Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad absolvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

CAPUT I.

DEMONSTRATUR VERITAS HUIUS SACRAMENTI.

ARTICULUS I.

AN PŒNITENTIÆ SIT PROPRIUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

94. *Nota I.* Montanistæ et Novatiani a non paucis dicuntur Pœnitentiæ sacramentum negasse: verum ut disput. præcedente c. 1. art. 4. ex ipsorum Montanistarum et Novatianorum scriptis docuimus, in eo solum errore hæretici illi versabantur, quod putarent, non esse in Ecclesia potestatem graviora quædam crimina remittendi iis, qui post baptismum in ea sunt prolapsi, sed illorum veniam a solo Deo per jugem in hac vita pœnitentiam impetrari oportere.

Eodem modo nullus veterum, qui Waldenses impugnarunt, hoc ipsis errori tribuit, quod pœnitentiam ex albo sacramentorum expunxerint: imo conceptis verbis asserunt, ipsos agnovisse potestatem in Ecclesia vere pœnitentibus dimittendi peccata. Quoad usum tantum hujus potestatis ipsos errasse testatur Reinerus L. de Sacramento pœnitentiæ contra Waldenses c. 5. quod dicerent, *nullum a malo sacerdote absolvi posse: bonum laicum habere absolvendi potestatem; bono laico potius, quam malo sacerdote esse confitendum: non esse injungendas graves pœnitentias exemplo Christi, etc.*

Nota II. In confessionis Augustanæ Apologia c. 7. de numero et usu sacramentorum, Lutherani ita protestantur: *Si sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint proprie sacramenta... Vere igitur sunt sacramenta baptismus,*

cæna Domini, absolutio, quæ est sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, et promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti.

Etiam hisce adhuc temporibus videntur Lutherani Saxones pœnitentiam tanquam verum novæ legis sacramentum agnoscere: nam in catechismo minore Lutheri, quo utuntur, titulo de Confessione, ad q. 1. ita habetur: *Confessio duo comprehendit; unum est peccata confiteri: alterum est absolutionem sive remissionem a confessario sive præcone Evangelii accipere, tanquam ab ipso Deo, et non dubitare, sed firmiter credere, peccata per illam absolutionem coram Deo in cælo remissa esse.* Et ad q. 2. *Coram ministro autem debemus tantum ea peccata confiteri, quæ nobis cognita sunt, et quæ in corde sentimus.* Tum minister audita confessione, ita jubetur interrogare confitentem: *Num meam remissionem credis esse Dei remissionem? Affirmanti et credenti porro dicat: Fiat tibi sicut credis. Et ego ex mandato Domini nostri Jesu Christi remitto tibi tua peccata in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen.*

Quamvis autem Lutherus sub initium libri de Captiv. Babyl. ita scribat: *Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, pœnitentia, panis; circa finem tamen libri ejusdem sententiam mutat, atque: Pœnitentiæ sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi, quam viam ac reditum ad baptismum.*

Item Melancthon in Locis commun. an. 1522. editis, tit. de Pœnitentiæ: *Sacramentum ejus, inquit, vel signum non aliud nisi baptismus est: atque hic omnium rectissime vocetur sacramentum pœnitentiæ.* Eandem pœnitentiam e numero sacramentorum deturbarunt Zwinglius L. de vera et falsa Religione, cap. de Sacramentis, Calvinus L. 4. Instit. c. 19. §. 15. Mathias Flaccus Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis c. 18., Kemnitiuſ, Wigandus, Selneckerus, et plerique Novatorum.

95. *Dico.* Pœnitentia seu ritus ille, quo Christiani pœnitentes et peccata sacerdoti confitentes ab eodem absolvuntur, est verum ac proprium legis novæ sacramentum.

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Christus, Joan. 20. v. 21. et seqq. ait Apostolis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Verbis hisce Christi tres conditiones continentur, quæ ad sacramentum verum ab ipsis etiam Lutheranis requiruntur, nimirum ritus externus, promissio gratiæ, et mandatum divinum. Nam primo symbolum externum inde apparet, quod Apostoli peccata remittere non potuerint, nisi fideles illa fuerint confessi, et quidem cum signis doloris, quia non remittuntur peccata, quæ non retractantur per pœnitentiam: neque item fideles poterant scire remissa sibi peccata esse, nisi signo externo a sacerdotibus percepto id intellexerint.

Deinde his ipsismet Christi verbis, *quorum remiseritis peccata, etc.* exprimitur gratiæ promissio ritui externo divinitus annexa, eo quod nullum peccatum sine Christi gratia remittatur.

Denique mandatum suum Christus satis declarat, dum ait: *Sicut misit*

me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, etc. Et Apostolus 2. Cor. 5. v. 18. Dedit nobis ministerium reconciliationis.

Prob. II. Ex TRADITIONE. Patrum universorum consensus semper intellexit, Christum Joan. 20. dum insufflavit in discipulos, tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus communicasse: et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam hæreticos exposit atque condemnavit. Hactenus Concilium TRIDENTINUM Sess. 14. cap. 1. Contra eosdem Novatianos S. AMBROSIIUS L. 1. de Pœnitentia c. 2. ita disputat: *Sed aiunt, se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui cujus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: Accipite Spiritum sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum detinueritis, delenta erunt; quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget, et relaxet, etc.*

S. AUGUSTINUS epist. 50. (al. 185. ad Bonifacium Comitem n. 45.) scribit, quod aliquis post criminis gravioris pœnitentiam ad Clericatum non admittatur, vel inde ejiciatur, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinae. Alioquin contra claves datas Ecclesiae disputabitur, de quibus dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo.

TERTULLIANUS adhuc Catholicus contra hæreticos, qui præter baptismum, nullam in Ecclesia potestatem remittendi peccata docebant, libro de Pœnitentia c. 7. ita scribit: *Hæc venena providens Deus, clausa innocentiae janua, et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere: collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Idem TERTULLIANUS jam Montanista L. de Pudicitia, initio, in S. Zephyrinum Papam ita invehitur: *Audito edictum esse propositum, et quidem peremptorium, Pontifex scilicet Maximus, quod est, Episcopus Episcoporum edicit: Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Ergo jam primis Ecclesiae seculis Pontifices Romani potestatem sibi esse dimittendi peccata crediderunt.

S. CYPRIANUS L. de Lapsis n. 29. *Confiteantur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes, apud Deum grata est.*

Plura Patrum testimonia in hanc rem dabit BELLARMINUS de Pœnitentia L. 1. c. 10. et seqq.

Prob. III. Ex CONCILIIIS. Concilium Eliberitanum, sub initium sec. IV. celebratum, can. 76. (Labb. t. 1. p. 978. D.) decidit, diaconum in grave crimen prolapsum, si sponte fuerit confessus, acta legitima pœnitentia, post triennium ad communionem admittendum: si alius detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, ad laicam communionem amandandum. Qui canon non solam ceremoniam externam, sed absolutionem etiam a peccatis intelligit.

Concilium Nicenum cap. 8. (Labb. t. 2. p. 31. D.) præcipit, ut non ante

Novatiani sive *xatharoi* in Ecclesia recipiantur, quam scripto professi sint, se etiam lapsis communicaturos, quos, licet ab Ecclesia veniam obtinuisent, refugiebant; ergo Patres Concilii Nicæni crediderunt, ab Ecclesia remitti posse gravissima crimina, quale erat lapsorum in idololatriam.

Huc pertinet, quod Constantinus M. teste Socrate L. 1. c. 7. (al. 10.) Asterio Novatiano episcopo impropertat: *Erigito tu tibi scalas, Asteri, et ad cælum solus ascendito.* Nimirum Asterius cum Novatianis negabat potestatem esse in Ecclesia dimittendi baptizatis graviora crimina, aiebatque, horum veniam non a sacerdotibus concedi posse, sed a Deo solo ærumnis pœnitentiæ tota vita agendæ illam extorqueri oportere.

Concilium Florentinum in decreto Eugenii ad Armenos, de septem Sacramentis, §. quartum, Pœnitentiam inter sacramenta novæ legis numerat. Et Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 1. et Sess. 14. can. 1. aliter docentes ac dicentes damnat. Quod idem ante jam factum fuit cap. *Ad abolendam.* Extra, de Hæreticis.

Consentiunt huic doctrinæ Scholastici Theologi omnes cum Magistro sentent. 4. d. 14. ac tota Ecclesia græca non catholica tantum, sed etiam schismatica: nam Hieremias Archiepiscopus Constantinopolitanus in responsione ad Augustanam Confessionem a Lutheranis Tubingensibus sibi per Stephanum Gerlachium oblatam an. 1574. clare profitetur c. 7. Pœnitentiæ sacramentum inter septem vera sacramenta numerari ab Ecclesia græca. Veritatem hanc confirmant et approbant episcopi Græci in Synodo Bethlehemitica præside Dositheo Patriarcha Hierosolymitano congregati an. 1572.

96. *Obj. I.* Utriusque Testamenti pœnitentia eadem est, tam quæ a Prophetis, quam quæ a Joanne Baptista, a Christo et Apostolis prædicata est: atqui pœnitentia prædicata a Prophetis sacramentum non erat; neque ea, quam Joannes Baptista et Christus prædicarunt, ut fatetur Concil. Tridentinum Sess. 14. c. 1. Quin et Petrus et Paulus protestantur, se eam pœnitentiam docere, quæ a Prophetis testimonium habet; ergo pœnitentia novæ legis non est sacramentum.

R. *D. M.* Utriusque Testamenti pœnitentia, prout virtus, est eadem C. pœnitentia, quatenus sacramentum, est eadem N. et concessa 1^a. parte *Assumpt.*, ad ejus alteram partem

R. Quod Joannes et Christus etiam prædicarint pœnitentiam virtutem solum, quæ erat dispositio necessaria ad baptismum: sacramentum autem pœnitentiæ tunc prædicari et suaderi non poterat, eo quod post Christi resurrectionem demum fuerit institutum. Verba enim Christi Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo claves regni cælorum*, etc. Et 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram*, etc. promissiones futuræ potestatis tantum erant. Petrus Act. 10. v. 43. ait, Prophetas testari remissionem peccatorum futuram Christi nomine. Paulus autem Act. 26. v. 20. indicat pœnitentiam, qua infideles ad baptismum præparantur; et addit, a Prophetis prædicta fuisse mysteria adventus, passionis et resurrectionis Christi.

Inst. 1. Cum Luc. ult. v. 47. dicitur: *Oportebat in nomine ejus prædicari pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes*; idem omnino exprimitur, quod Joan 20. ait Christus: *Quorum remisistis peccata, etc.*: atqui verbis illis Luc. ult. exprimitur tantum potestas facta remittendi pec-

cata infidelium per baptismum et præviam pœnitentiæ virtutem; ergo hæc eadem potestas solum indicatur verbis Christi, Joan. 20.

R. N. M. Verba Christi, Luc. ult. tantum generatim enuntiant, prædicandam esse omnibus gentibus pœnitentiam et remissionem peccatorum in nomine Christi: Joannis autem 20. Christus confert Apostolis potestatem remittendi et retinendi peccata; quod longe aliud est a priore. Ex quibus apparet falsitas assumpti et consequentiæ. Quod autem hæretici dicunt, Christum verbis illis, *accipite Spiritum sanctum*, etc. dedisse Apostolis tantum potestatem prædicandi Evangelium, ex cujus auditu fides concipiatur, qua peccata remittantur, id sane ridiculum est, et SS. Patribus ignotum. Equidem Hieronymus epist. 150., Ambros. L. 10. in Luc., Chrysostomus hom. 70. ad populum, ac Patres cæteri potestatem judicariam Apostolis et ipsorum successoribus verbis illis traditam agnoscunt; ut proinde Concil. Tridentinum Sess. 14. can. 3. hanc genuinam Patrum traditionem asserat, et interpretationem hæreticorum de nuda prædicatione Evangelii juste damnet.

Nec refert, quod Jansenius Gandavensis et Joannes Ferus cum S. Cyrillo L. 12. in Joan. (opp. t. 4. p. 1101. D.) in illa verba, *quorum remisistis*, etc. scribant, tunc Sacerdotes fidelibus peccata remittere, cum probatos ad baptismum admittunt: tunc peccata retinere, quando indignos a baptismi gratia prohibent. Nam præterquam quod hoc foret merum officium declarandi omnibus Christianis commune, neque parvulis baptizandis possit accommodari; sensum genuinum S. CYRILLUS mox ipse aperit, ita subjiciens: *Vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoscunt.*

Inst. 2. Christus Joan. 20. ait Apostolis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Sed Christus ipse remisit peccata sine sacramento; ergo idem fecerunt Apostoli.

R. *Explic. testimonium cit.* Christus ait, ex eodem fine mitti ab se Apostolos, ex quo ipse missus est C. eodem modo etiam ab Apostolis adhibenda esse salutis alienæ media, quo ipse illa adhibuit N. Potestate excellentiæ eminebat Christus, cum Apostolorum tantum esset potestas ministerialis, quamvis eodem ex fine agerent, de quo Paulus 2. Cor. 5. v. 18. *Dedit nobis ministerium reconciliationis; et posuit in nobis verbum reconciliationis.* Quapropter impudentissime mentitur Kemnitiuss, dum part. 2. Examinis Conc. Trid. cap. 4. pag. 921. scribit, quod Catholici doceant, *Apostolos aliam pœnitentiam docuisse, quod ad substantialia attinet, qua impii ante baptismum ad Deum convertantur; et aliam diversam, qua lapsi post baptismum cum Deo in gratiam redeant.* Contrarium enim omnino omnes tenemus, et declarat Tridentinum Sess. 6. cap. 6. et 7. et cap. 14. ubi dicuntur peccata remitti per Christi merita, præcedente fide et pœnitentia, ac Deo corda excitante et adjuvante, etc. Eadem enim prorsus est pœnitentiæ substantia, sive assumatur in partem sacramenti, sive non: sive distinctam peccatorum enumerationem et opera laboriosa cum absolutione sacerdotis illi adjunxeris, ut post baptismum contingit; sive hæc illi desint, ut ante baptismum solet. Hæc enim pœnitentiæ solum accidunt.

Inst. 3. Nusquam legitur, Apostolos exegisse enumerationem peccatorum, injunxisse mulctam, aut absolutionem impertiisse; ergo.

R. N. Cons. Nec usquam legitur, Apostolos pronuntiasse inter baptizandum verba: *Baptizo te in nomine Patris*, etc. aut peccatorum remissionem confessis fidelibus annuntiasse, ut Lutherani faciunt. Sufficit ergo nobis, quod Christus Apostolis injunxerit officium remittendi et retinendi peccata, et quod Ecclesia Catholica hunc ritum semper observaverit: quod est argumentum certissimum, ab Apostolis illum promanasse, cum a nullo Concilio constet esse institutum, ut docet B. August. L. 4. de Baptismo c. 24. n. 31.

97. Obj. II. Christus Joan. 20. jussit Apostolos impertiri fidelibus remissionem peccatorum: non autem jussit, ut prolatis verbis illa fieret. Atqui remissio peccatorum solo actu interno concedi potest; ergo ex illis Christi verbis nondum colligitur ritus externus, qui sacramentum constituat.

R. N. Ant. Christus remissionem illam per modum judicii voluit institui: in judicio autem humano sententia exterius proferri debet. Hanc Christi institutionem perpetua Ecclesiæ praxis probat, quæ nullum unquam peccatorem sine conceptis verbis absolvit. Hinc illud Augustini L. 5. de Bapt. c. 20. *Quomodo excaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?*

Inst. Multi Scholastici post Magistrum docuerunt sacerdotem declarare tantum peccata per contritionem et satisfactionis propositum pœnitenti dimissa esse; ergo etiam Catholici non tenuerunt pœnitentiam esse sacramentum, quo gratia et peccatorum remissio conferatur.

R. N. Cons. Richardus et Hugo Victorinus referunt quidem, docuisse quosdam, datam a sacerdotibus absolutionem non nisi peccati prius remissi declarationem esse; sed addunt, errasse illos in hoc capite. Imo sunt ex recentioribus quidam, qui hanc Magistri sententiarum et aliorum quorundam opinionem a Concilio Tridentino damnatam fuisse arbitrantur. Verum Theologorum istorum sententia, qui perfectam contritionem ad sacramentum Pœnitentiæ requirebant, ab errore et condemnatione Conc. Tridentini vindicatur ab Andrea Vega Franciscano, qui et Concilio Tridentino interfuit, et ipsius decretum de justificatione commentariis illustravit L. 13. c. 33. Nam, ut inquit Cardinalis Pallavicinus L. 12. Hist. Conc. Trid. c. 12. *Concilium eorum tantum errorem damnavit, qui dicebant, absolutionem esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata.* Tametsi vero Theologi illi cum Magistro doceant, per contritionem confessioni præmittendam, peccatum continuo remitti; hac ipsa tamen contritione propositum confitendi et satisfaciendi, atque ipsum etiam votum absolutionis contineri asserunt: unde licet absolutio, cum datur, sit modo judiciali declarativa peccati prius remissi; peccatum tamen independenter ab ea, saltem in voto recepta, non dimitti concludunt. Sed et ipsam absolutionem ad gratiæ augmentum, et ad remissionem pœnæ debitæ pro peccatis, aiunt prodesse. Huic Andreae Vegæ judicio suffragantur Dominicus Sotus, et Alphonsus Salmeron, ambo Synodi Tridentinæ Theologi.

98. Obj. III. Apud Lutheranos et Calvinistas nulla est auctoritas Conciliorum Tridentini et Florentini, neque Romanorum Pontificum aut Episco-

porum Græcorum, multo minus Theologorum Scholasticorum; ergo horum testimonia incassum adversus Novatores proferuntur.

R. N. Cons. 1°. Ex testimoniis illis probamus continuam seriem doctrinæ ejusdem ab ortu Ecclesiæ usque ad nostram ætatem. 2°. Ex perenni consensu Ecclesiæ latinæ et græcæ, schismaticæ etiam, sequitur, Pœnitentiæ sacramentum ab Romanis Pontificibus non fuisse confictum. 3°. Testimonia citata hoc evidens argumentum nobis suggerunt: Aut Ecclesia universa quingentis annis in gravissimo errore est versata: aut verum est quod nos ab eadem Ecclesia de Pœnitentiæ sacramento didicimus. Ecclesiam autem universam errare non posse docet Apostolus 1. Tim. 3. v. 15. *columnam et firmamentum veritatis* illam asserens. Ergo doctrina nostra de Pœnitentiæ sacramento vera est.

Inst. 1. S. JOANNES CHRYSOSTOMUS (opp. t. 7. p. 608. A.). ANASTASIUS SINAITA, et THEOPHYLACTUS, verba illa Christi Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis et solveritis*, etc. aiunt ad omnes Christianos pertinere, propter verba antecedentia: *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. ita ut sensus verborum Christi sit: si aliis injuriam remiseritis, Deus etiam vestra peccata remittet; si retinueritis, et ipse vobis retinebit; ergo ex illo testimonio non satis probatur, datam fuisse sacerdotibus peculiarem potestatem remittendi peccata.

R. N. Cons. Expositio ista, ut multæ aliæ expositiones Origenis, a quo illam B. CHRYSOSTOMUS petiisse videtur, duriuscula est, nec plane contextui Evangelico consona, ubi persona offensa clare distinguitur a testibus, coram quibus offendens est corripiendus, et ab Ecclesia, ad quam idem obstinatio deferendus est. Nam cum Christus dixisset: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, illico subdit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram*, etc. Igitur genuina orationis Christi explicatio est, quam Patres universim tenent, in Ecclesia specialem esse potestatem ligandi et solvendi, eamque a solis præsulibus et sacerdotibus, queis Christus auctoritatem istam cum Spiritu sancto communicavit, legitime exerceri.

Quam quidem sacerdotum potestatem idem B. CHRYSOSTOMUS L. 3. de Sacerdotio c. 5. (opp. t. 1. p. 383. et seqq.) magnifice extollens, *Etenim*, inquit, *qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata et in cælo; et quæcumque solveritis in terra, erunt soluta in cælo... Habent quidem terrestres Principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit: usque adeo ut quæcumque sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem esse illis a Deo concessam? Quorumcumque enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur eis, et quorumcumque retinueritis, retenta sunt. Quenam, obsecro, potestas hac una major esse queat? Tum sacerdotes nostros supra legis Mosaicæ sacerdotes extollens, at vero, ait, nostris sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas pro-*

bare, sed purgare prorsus concessum est. Denique argumentum ex illis Christi verbis Joan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater*, etc. nuper a nobis ductum S. Doctor ita stabilit: *Pater omne iudicium Filio dedit: cæterum video, ipsum omne iudicium a Deo Filio illis traditum. Nam quasi jam in cælum translatus, ac supra humanam naturam positus, atque nostris ab affectibus exemptus, sic illi ad principatum istum perducti sunt.*

Quæ hactenus ex B. Doctoris libro de Sacerdotio paulo fusius recitavimus, potestatem dimittendi peccata sacerdotibus manifeste asserunt. Nec moveri debemus, quod idem S. Doctor homil. 15. in Matth. (opp. t. 7. p. 194. A.) scribit: *Liberare a putredine peccatorum, Christi profecto virtutis est; ut autem non ad illa iterum revertantur, Apostolorum curæ ac laboris*, etc. non enim hic de administratione sacramenti pœnitentiæ, sed de sanctæ conversationis exemplo, deque prædicationis officio, queis Pastores Ecclesiæ populo ad veram fidem et justitiam Christianam converso præire, eumque a vitij compescere, et ad virtutum studia hortari tenentur.

Inst. 2. Solus Deus potest peccata remittere, ut pluribus S. Scripturæ testimoniis confirmari potest, præsertim Luc. 5. v. 21. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Et Isai. 43. v. 25. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas.* Ergo non datur sacramentum, quo sacerdotes confitentibus peccata remittant.

R. D. Ant. Solus Deus potest peccata remittere potestate primaria et principali C. potestate secundaria et ministeriali N. Quamvis impossibile videbatur, per pœnitentiam peccata dimitti: concessit hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est, inquit B. AMBROSIVS L. 2. de Pœnitentia c. 2. (opp. t. 2. p. 419. A.) Quibus ex verbis liquet, hunc S. Doctorem nihil acatholicis favere, dum L. 3. de Spiritu sancto c. 18. (opp. t. 2. p. 694. A.) *Per Spiritum sanctum*, inquit, *peccata donantur. Homines autem in remissione peccatorum ministerium exhibent, non jus alicujus potestatis exercent: nam Spiritum sanctum, quod is primaria et præcipua auctoritate peccata dimittat, Deum verum esse concludit, id quod libris illis probandum susceperat.*

Inst. 3. B. AUGUSTINUS tract. 3. in Joan. n. 16. *Servus*, inquit, *agere secundum legem potest, solvere a reatu legis non potest.* Idem clarius adhuc confirmat S. CYPRIANUS tract. de Lapsis n. 17. sic scribens: *Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri.* Ergo nullus sacerdotum potest a peccatis absolvere.

R. D. Cons. Nullus sacerdotum potest a peccatis absolvere auctoritate propria, naturali, eaque infinita, quæ Dei est, aut potestate excellentiæ, qua pollet Christus C. potestate ministeriali a Christo communicata nullus sacerdotum potest a peccatis absolvere N. Patres ambo monent, sacerdotibus non concessam fuisse potestatem absolutam nullisque legibus vincam, qua pro sua libidine gratiam indignis impendant, sed reconciliationis ministerium impositum illis fuisse, quo erga vere pœnitentes utantur, eisque peccatorum veniam secundum leges a Christo præscriptas ministeriali facultate concedant. Eapropter jure a Patribus castigatur intempestiva sacerdotum quorundam indulgentia, qui invito Christo, ante expiata delicta, ut S. CYPRIANUS libro laudato n. 16. ait, ante exomologesin factam criminis,

ante purgatam conscientiam, lapsis falsam pacem restituunt, periculosam dantibus, accipientibus nihil profuturam.

His consentit B. Hieronymus, dum commentario in c. 16. Matth. (opp. t. 7. p. 125. A. edit. Vallarsi.) invectus in Episcopos et Presbyteros, qui Phariseorum sibi supercilium assumentes, quosvis sontes et insontes se pro libitu solvere ac ligare posse, causa non cognita, gloriabantur, mox ita eos hortatur: *Episcopus et Presbyter pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quive solvendus.* Eorundem et Presbyterorum in Ecclesia potestatem, epist. 1. ad Heliodorum, magna reverentia extollit his verbis: *Absit ut de his (clericis) quidquam sinistrum loquar, quia Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt; per quos et nos Christiani sumus; qui claves regni caelorum habentes, quodammodo ante iudicii diem iudicant.*

Inst. 4. Ministrorum absolutio praesumit poenitentem spiritualiter jam viventem, et peccati condonationem a Deo factam: in cujus confirmationem Patres proferunt exemplum Lazari, quem prius a morte ad vitam Christus suscitavit, quam discipulis solvendum a fasciis sepulchralibus commiserit. Ita enim Gregorius M. hom. 26. in Evang. (opp. t. 1. p. 1555. D.) *Tunc, inquit, vera est absolutio praesidentis, cum interni arbitrium sequitur iudicis... Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum.* Et B. Augustinus serm. 67. de verbis Evangelii, alias 8. de verb. Dom. *Quis, inquit, eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit, Lazare, prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit: foras prodire non posset, nisi viveret; vivere non posset, nisi resuscitatus esset.* Ergo secundum Patrum sententiam, sacerdotes non remittunt peccata, sed veniam illorum divinitus factam esse tantum declarant.

R. N. Ant. B. Augustinus duos in peccatore ad justitiam traducto effectus agnoscit; alter quidem est gratia excitans et adjuvans ad odium peccati, ad melioris vitae propositum, et ad sinceram peccatorum confessionem, qua velut inchoatae et imperfectae vitae motus exercet; atque vita haec a solo Deo intus vocante et operante oritur: alter vero effectus provenit ab Ecclesia exterius ministrante, et a vinculis peccatorum solvente, cui dictum est, *quae solveritis super terram, etc.*, et a Deo ipso ratam Ecclesiae sententiam habente, ut ita expeditus peccator omnes vitae perfectae motus edere possit. Atque ista luculenter tradit idem S. Doctor loco nuper citato: tum vero concione 2. in Ps. 102. n. 3. *Remissio, inquit, peccatorum solutio est... Cum audis, hominem poenitere peccatorum suorum, jam revixit: cum audis, hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? a quibus solvitur? Quae solveritis in terra, inquit, erunt soluta et in caelo. Merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest; suscitari autem ipse mortuus, non nisi intus clamante Domino, potest: haec enim Deus interius agit.* Eandem vero B. Gregorii mentem fuisse ex homilia nuper indicata intelligi licet, ubi, *videndum, inquit, est, quae culpa praecessit, aut quae sit poenitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat.* Ex quibus apparet, quo sensu absolutio praesidentis sequi debeat arbitrium iudicis aeterni. Caeterum Patres constanter asserunt, ante sacerdotum sen-

tentiam in terris latam peccata in caelis a Deo non dimitti. Ac S. quidem Hilarius in cap. 16. Matth. (opp. t. 750. A.) exclamat: *O beatus caeli janitor! cujus arbitrio claves aeterni aditus traduntur, cujus terrestre iudicium praedjudicata auctoritas sit in caelo; ut quae in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in caelo.* S. Joan. Chrysostomus hom. 4. in illud: *Vidi Dominum* (opp. t. 6. p. 132. E.): *A terra, inquit, iudicandi principalem auctoritatem sumit caelum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur servum.* Et S. Bernardus serm. 1. in Natali Apost. Petri et Pauli (opp. t. 1. p. 990. B. edit. Mabill.) *Sententia Petri, ait, praecedat sententiam caeli.* Non quod proprie sint duae sententiae: una enim solum est, ac praecipue a Deo, et hoc quidem in genere prior; nihilominus hominis sententia dicitur praecedere, vel quia exterior absolutio ordine naturae antecedit interiorem, vel quia proxime inchoatur, et quasi definitur sententia a sacerdote, et infallibiliter consequitur effectum, et rata habetur in caelo.

Inst. 5. S. August. serm. 99. de verbis Evang. S. Luc., alias 23. ex hom. 50. c. 8. n. 8., reprehendens eos, qui arroganter dicunt: *ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico: Respondeat illi, subjicit S. Doctor, non ego, sed Christus; ergo negavit penes sacerdotes esse facultatem peccata dimittendi.*

R. N. Cons. S. Augustinus et Patres caeteri potestatem excellentiae Christo soli adseribunt: ministerium autem et communicatam sacerdotibus a Christo potestatem eadem peccata remittendi iidem pluribus extollunt, ut hactenus affatim demonstravimus. Quamquam B. Augustinus loco laudato impudentiam Donatistarum praecipue petat, qui vim sacramentorum ex suae sectae ministrorum sanctitate pendere jactabant, quasi nullum foret sacramentum, quod ab haeretico, aut alio malo ministro fuerit collatum.

ARTICULUS II.

AN HOC SACRAMENTUM INSTITUTUM SIT PER MODUM JUDICII?

99. *Nota.* Hactenus satis ad propositum nostrum ostendimus, sacerdotibus potestatem remittendi ac refinendi peccata a Christo fuisse impertitam. Ex quibus Conc. Tridentinum Sess. 14. cap. 2. et 5. legitime intulit, sacramentum hoc ad formam iudicii divinitus ordinatum esse, quod institui rite non possit, nisi poenitentes peccata sua sacerdotibus aperiant.

Quid de confessione senserint olim Montanistae et Novatiani, ex supra dictis licet intelligi.

Audiani haeretici, qui tempore Valentiniani senioris Ecclesiam vexabant, jubebant quidem unumquemque peccata sua confiteri: deinde confessis dabant veniam, non tempus ad poenitentiam definiens, sicut Ecclesiae leges praecipiant, sed potestate condonantes, ut narrat Theodoretus L. 4. Haeret. Fab. c. 10. (opp. t. 4. p. 242. C.).

Eundem morem tenuerunt Waldenses, tantum pauculas preces confessis injungere soliti: nec aliis, dicebant, confessionem fieri debere, quam *Barbatis*, hoc est sectae suae Presbyteris, penes quos tantum putabant esse facultatem absolvendi. Postea anno 1530. a Bucero et Oecolampadio rogati,